

## **Феофан Прокопович, Laudātiō Borysthenis**

### Lēctiō prīma

Salvē, magne Pater, dīves aquārum. Sicut omnēs fluviōs opibus vincis, sīc eōs laudibus vincere potes. Quam lātum est flūmen! Rīpae plūs disiūcta sunt quam sagitta volāre potest. Magna **Thetis** in tē est. Ea gaudet mare imitārī et cum **Pontō** certāre; sē ferōciter agit. Veterēs **quercūs** ē terrā trahit. Etiam partēs altōrum montium rapit. Nihil **obstāns** manet. Saepe cursum mūtat, loca **arēnā** implet. Nihil dīcō dē pūrīs undīs **fulgentibus**, dē aquā dulcī, quae cibōs faciliter mollit. In īmō fluviō **flāva** arēna ut aurum fulget. Quis pulchrās rīpās satis admirārī possit! Pulchra faciēs Naturae in utrāque rīpā lūcet.

In orīentī parte campī multīs herbīs **viridēs** sunt et pecora alunt. In occidentī parte montēs altī surgunt et **dēnsissima** silva **innumerās** apēs alit.

**Maiōrēs** bene dīxērunt **Borysthenis** flūctūs mellis et lactis plēnōs esse.

Cūr cōgitō dē tot rūribus, tot oppidīs, tot urbibus in laetīs rīpīs? Testēs sunt multōrum tuōrum dōnōrum. Tū tot fluviōs accipis! Āh, Urbs haec ipsa, ḍrnāmentum patriae māterque **potentis** Imperiī! Ea est maximum monumentum tuae glōriae, ea ā tē tam multa dōna accēpit. Tū circum magna illīus moenia fluis, campum eius dēlectās. Tantās mercēs ad rīpās portās; lignum **lapidēs**que quoque quibus templa aedificantur. Multōs militēs nāvibus ēmittis, Pontō mināris et terrēs. Patriam dēfendis, fortior mūrō es. Hostem **terrōre exclūdis**.

Thetis, -idis = antīqua dea maris



Pontus, -ī = mare inter Asiam et Eurōpam situm



quercus, -ūs (f.) = genus arboris  
obstāre, -ō= contrā stāre, ex  
adversō stāre



arēna, -ae  
fulgēre, -ō < fulgur

flāvus, -a, -um = color frūmentī  
mātūrī

viridis, -is, -e = color herbae  
novae

dēnsus, -a, -um = 'dēnsa silva'  
dīcitur silva in quā prope sē  
arborēs herbaeque crēscunt  
innumerus, -a, -um = quī  
numerārī non possunt

maiōrēs = quī ante nōs vivēbant  
Borysthenēs, -is = magnus  
fluvius quī in Ucraīnā fluit, nunc  
Danapris (Dnipro, Dniepr)

potēns, -entis = quī potest, valēt  
et fortis est

lapis, -idis (m.)



terror, -ōris < terrēre  
exclūdere, -ō < ex + claudere

## Lēctiō secunda

Salvē, magne Pater, magnārum dīves aquārum. Sicut cūntōs amnēs opibus vincis, sīc eōs laudibus vincere potes. Quam lātum flūmen! Lītora plūs disiūncta sunt quam sagitta volāre potest. Thetis in tē fūsa esse vidētur. Ea gaudet speciem **aequoris** referre et cum Pontō certāre. Quae rapidī flūctūs vī **furit** et **annōsās** quercūs **rādīcībus** altīs **abstrahit**; Quīn etiam ingentia altī montis membra ferōciter rapit et horrendīs sonīs nihil quod obstet manēre patitur; Cursum saepe mūtat, loca arēnae plēna relinquit.

**Praetereō** quod pūrīs undīs fulgeat, quod aqua **sītentī** dulce **lībāmen** sit, quod aqua etiam paulum **fervēns** cibōs molliat, quod in īmō arēna flāva falsē ut aurum **clāreat**.

Quis satis amoenās rīpās mīrārī possit, cum **decōra** Nātūrae faciēs **utrinque** lūcet! Pinguia **prāta** ad sōlem orientem spectantia **virent** pecorīque **alimenta ministrant**. Ā parte sōlis occidentis **montāna cacūmina** surgunt, ubi dēnsissima silva innumerās apēs alit.

Maiōrēs bene dīxerunt Borysthenis amnem iam flūctūs mellis plēnōs **volvere**, iam flūctūs lactis plēnōs volvere. Quid memorem tot rūra, tot oppida, tot urbēs in laetīs rīpīs positās, quae testēs tot tantōrumque tuōrum vitae munera sunt, quae dē tot fluviīs ā tē acceptīs narrant? Et, Urbs haec ipsa, **decus** patriae māterque potentīs Imperiī! Ea est maximum **monumentum** tuārum laudum, ea ā tē tam multa dōna accēpit. Tū magna illīus moenia **circumfluis**, dēlectās campum eius, quod ad sōlis ortum spectat.

Praetereā tantās mercēs ad lītora portās, magnās copiās lignōrum lapidumque ad magna templa aedificanda. Ēmittis cum **numerōsis** militibus nāvēs, ipsī Pontō mināris et terrōrem affers. Patriam fortior omnī mūrō dēfendis et dīrum hostem ē finibus exclūdis aditumque tuī terrōre claudis.

aequor, -oris = summa pars maris (tranquillī)  
furere, -ō = sē ferōciter agere  
annus > annōsus, -a, -um = quī iam multōs annōs habet  
radīx, -īcis = pars arboris quae sub terrā sita est  
abstrahere, -ō = ab + trahere

praeterīre, -eō = praeter + īre  
sitīre, -io < sitis  
lībāmen, -minis = id quod ad bibendum deīs ab hominibus funditur  
fervēre, -eō (dīcitur dē aquā) = tam callidam fiēri ut multum et ferōciter se mōvet  
clārēre, -eō < clārus  
decōrus, -a, -um = pulcher  
utrinque = ab utrāque parte  
prātūm, -ī = campus ubi pecus pāscitur  
virēre, -eō = viridis esse  
alimentum = quod alit, cibus  
minister > ministrāre, -ō = dare  
montānus, -a, -um < mōns  
cacūmen, -minis = summa pars (mōntis vel arboris)  
volvere, -ō = aliquid vertēns movēre

decus, -oris = ḍrnāmentum  
monumentum, -ī = quidquid nōs monet et aliquid in memoriam fert, sīcut statua, templum ...

circumfluere, -ō = circum + fluere

numerus > numerōsus, -a, -um = magnō cum numerō

*Lēctiō tertia*

Salvē, magne Pater, magnārum dīves aquārum, ut cūnctōs opibus vincis, sīc laudibus omnēs **exsuperāre** potes. Quae tam **spatiōsa mōlēs** est fluentī? Ultrā tēlī volantis iactum lītora disiūncta sunt. Thetis fūsa est et speciem aequoris referre et **aemula** Pontī fierī gaudet. Aut quae - nam furit ista rapidī flūctūs **violentia** - annōsās quercūs rādīcibus altīs abstrahit; Quīn etiam **vehemēns** ingentia **excelsī** montis membra rapit nihilque, quod obstet, **horrisōnis** cursibus dūrāre patitur; **exōsus** eundem tractum saepe locum mūtat arēnāsque **sprētās** relinquit.

Praetereō quod **nitidus** pūrīs undīs fulgeat, quod **pōtus** sitientī **palātō** faciat dulce lībāmen **subāctusque crūdōs** cibōs exiguō **fervōre** molliat, quod flāvus in īmō fundō clāreat et fallāx mentītum aurum **venditēt**. Quis satis amoenōs istārum rīpārum **tractūs** mīrārī possit, ut decōra Nātūrae faciēs utrinque lūcet! **Pingua** prāta ad **roseum** **Titānis ortum** virent pecorīque alimenta ministrant; Versus eius **occāsum** montāna cacūmina surgunt, ubi dēnsissima silva innumerās apēs nūtrit.

Et bene maiōrēs dīxēre Borysthenis amnem iam flūctūs mellis plēnōs, iam lactis plēnōs volvere. Quid memorem tot rūra, tot oppida, tot laetīs rīpīs positās urbēs, quae tot tibi tantaque vītae mūnera referunt et quae ingentem flūviōrum partem acceptam maximē referunt? Et, Urbs haec ipsa, decus patriae, māterque potentīs Imperiī quae **suprēma** tuārum laudum monumenta sunt, quae tibī tot **commoda** dēbet. Tū **ampla** illīus moenia **perluis** **exhilarāsque plagam**, quae spectat ad sōlis ortum.

Quid quod **comportās** tantās mercēs ad lītora, lignōrum lapidumque **struem calcemque tenācem** māteriam templīs et magnīs aedibus **aptam**. Adde, quod **expediās** nāvēs numerōsō mīlite īstrūctās, et ipsī Pontō minās **gelibusque timōrem incutiās**, sed Patriam fortior omnī mūrō dēfendās et dīrum hostem fīnibus exclūdās aditumque tuī **formidine** claudās.

exsuperāre, -ō = superior esse  
spatiōsus, -a, -um = magnus  
et latus  
mōlēs, -is = ingēns rēs

aemulus, -a, -um = quī aequus  
ac alter, etiam alterō melior esse  
vult  
violentia, -ae = vīs

vehemēns, -ntis = ferōx  
excelsus, -a, -um = altus  
horrisonus, -a, -um =  
horrendum sonāns  
exōsus, -a, -um = odiī plēnus  
spernere, -ō, sprēvī, sprētūm =  
rēmovēre

nitidus, -a, -um = clārus, lūcēns  
pōtus, -ūs < pōtāre  
palātum, -ī = pars superior ūris  
interiōris  
subigere = sub + agere  
crūdus, -a, -um = quod coctum  
nōn est  
fervor, -ōris < fervēre  
venditāre, -ō < vendere  
tractus, -ūs = pars terrae  
pinguis, -is, -e = crassus  
roseus, -a, -um = color sōlis  
oriēntis  
Titān, -ānis = Sōl, deus Sōlis  
ortus, -ūs < orīrī  
occāsus, -ūs < occidere

suprēmus, -a, -um (sup.) < superus  
commodum, -ī = rēs bona  
amplus, -a, -um = magnus, latus  
et altus  
perluere, -ō = lavāre  
exhilarāre, -ō = dēlectāre,  
aliquem laetior reddere  
plaga, -ae = campus  
comportāre = cum + portāre  
struēs, -is = magna cōpia rērum  
permixtē in altitūdinē collāta  
calx, calcis = genus lapidis albī  
tenēre > tenāx, -ācis = dūrus  
aptus, -a, -um = conveniēns  
expedire, -iō = parāre ad  
bellum  
gelū, -ūs = frīgus tam frīgidum  
ut aquam dūram fiat  
incutere, -ō = inferre  
formidō, -dīnis = terror

*Lēctiō orīginālis*

Salvē, magne Pater, magnārum dīves aquārum,  
 ut cūnctōs opibus vincis, sīc laudibus omnēs  
 exsuperāre potes. Quae tam spatiōsa fluentī  
 est mōlēs? Ultrā tēlī disiūncta volantis  
 lītora sunt iactum. Fūsa est speciemque referre        5  
 aequoris et Pontī fieri Thetis aemula gaudet.  
 Aut quae - nam ista furit rapidī violentia flūctūs -  
 annōsās quercūs rādīcibus abstrahit altīs;  
 Quīn etiam excelsī vehemēns ingentia montis  
 membra rapit patiturque nihil dūrāre, quod obstet,        10  
 cursibus horrisonīs; tractumque exōsus eundem  
 saepe locum mūtat sprētāsque relinquit arēnās.  
 Praetereō pūrīs nitidus quod fulgeat undīs,  
 quod pōtus faciat sitientī dulce palātō  
 lībāmen crūdōsque cibōs fervōre subāctōs        15  
 molliat exiguō, fundō quod flāvus in īmō  
 clāreat et fallāx mentītum venditet aurum.  
 Quis satis istārum mīrārī possit amoenōs  
 rīpārum tractūs, ut lūcet utrinque decōra  
 Nātūrae faciēs! Roseum Tītānis ad ortum        20  
 pingua prāta virent pecorīque alimenta ministrant;  
 Occāsum versus montāna cacūmina surgunt,  
 innumerās ubi nūtrit apēs dēnsissima silva.  
 Et bene maiōrēs dīxēre Borysthenis amnem  
 iam mellis plēnōs, iam lactis volvere flūctūs.        25  
 Quid memorem laetīs tot rūra, tot oppida rīpīs,  
 tot positās urbēs quae tot tibi tantaque vītae  
 mūnera et ingentem fluviōrum maximē partem  
 acceptam referunt? Et, quae suprēma tuārum  
 sunt laudum monumenta, tibī tot commoda dēbet        30  
 Urbs haec ipsa, decus patriae, māterque potentīs  
 Imperiī. Illīus tū moenia perluis ampla  
 exhilarāsque plagam, sōlis quae spectat ad ortum.  
 Quid quod comportās tantās ad lītora mercēs,  
 lignōrum lapidumque struem calcemque tenācem        35  
 māteriam templīs et magnīs aedibus aptam.  
 Adde, quod īstrūctās numerōsō mīlite nāvēs  
 expediās, ipsīque minās gelibusque timōrem  
 incutiās Pontō, Patriam sed fortior omnī  
 mūrō dēfendās et dīrum fīnibus hostem        40  
 exclūdās aditumque tuī formīdine claudās.